Goold (S.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

VENTRICULI Imbecillitate.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SIMON GOOLD HIBERNUS.

Ad diem 6 Augusti, horâ locoque solitis.

SURGEON'S HALL LIBRARY
35409
D.C.

EDINBURGI:
Apud G. HAMILTON & J. BALFOUR
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LV.

VIRO PRAECLARO,

JOHANNI TOWNSEND BECHER

DE BECHERVILLE,

IN COMITATU CORCAGINIENSI,

ARMIGERO;

ANIMI CANDORE,

MORUM SUAVITATE CONSPICUO,

NEC NON PULCHERRIMA SCIENTIARUM SUPELLECTILE

ORNATISSIMO;

OB INSIGNEM ERGA ME AMICITIAM

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

SIMON GOOLD.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VENTRICULI Imbecillitate.

HOMO non tantum, ſed quidquid vitalem ſpirat auram, abſque alimentis vivere, vitamque prolongare nequit; ſed quanta ſit alimentorum neceſſitas, quantuſque ad vitam continuandam uſus, tanta humano corpori ſtrages, tantaque imminet pernicies, ſi idonea aſſumptorum ſolutio in ventriculo non perficiatur. Enimvero, niſi juſtam in ventriculo mutationem ingeſta ſubeant, nulla eſſet chyli elaboratio, nutritio nulla, actiones omnes cito langueſcerent, animi deliquia ſupervenirent, et omnes corporis motus tandem deſinerent. Arduum ſane foret, et anguſtiores propoſiti limites longè exſuperaret,

omnes coctionis laesae fontes vel cursoriè pertractare. Sequentibus itaque pagellis, de Ventriculi Imbecillitate, tantum differam: etenim, ut ex dicendis patebit, firmus si conservetur ventriculus, vix contingent indigestiones,

1mo, VENTRICULI autem imbecillitas tunc adesse dicitur, quando cibos facilè digestiles mediocri quantitate ingestos subigere nequit. Atque ista imbecillitas essentialis est vel symptomatica; essentialis, si a nullo alio morbo pendeat; symptomatica verò, si alium morbum sui causam agnoscat.

2do, SI imbecillitas haec exindè oriatur, quod tunicae, ex quibus constat ventriculus, nimium debiles sint, vel, vitio succi gastrici, ventriculi vires exhaustae dicuntur: at si praedicta impotentia, materiae cuidam pituitosae in ventriculo contentae, Saburrae sic dictae, imputanda sit, tunc ventriculi vires oppressae censentur.

3^tio, CUM ventriculi imbecillitas saburram inducat semper, nec diù potuerit subsistere saburra,

ſaburra, quin ventriculum reddat imbecillem ; cumque ex duplici hoc fonte plerumque ſcaturiant omnes laeſae coctiones; majoris claritatis cauſâ, de utroque hoc vitio, ſeparatim agam.

ART. I.

De Viribus Ventriculi exhauſtis.

VENTRICULI vires exhauſtae cenſentur, quando ejus tunicae nimiae ſunt debilitatis, vel quando ſuccus gaſtricus quantitate vel qualitate deficit: atque hae duae cauſae ab ipſa digeſtionis naturâ pendent. Etenim, mediante fluido, digeruntur alimenta; nec ullum inficiaturum ſuſpicor, quin carnoſae ventriculi fibrae huic operi maximè inſerviant: licet ipſe ERASISTRATI attritum alienum exiſtimem, nec PITCARNII (alias de medicina benè merentis) ſectatoribus auſcultem, dum ventriculi vires quaſi Herculeas proferant.

SECT.

SECT. I.

CAUSÆ.

1mo, VENTRICULI tunicae nimium debiles ex vitio temperamenti quandoque reperiuntur.

2do, EXHAUSTIS totius corporis viribus, ventriculi vires communi labe proſternuntur; morbi igitur chronici imbecillem reddunt ventriculum.

3^tio, QUIDQUID ſanguinis quantitatem in ventriculo imminuit, eundem debilitat. Ut nimis largae ſanguinis miſſiones (pleno ventriculo religioſè evitandae), haemorrhagiae diutius protractae.

4to, QUOD frequentiorem ventriculi contractionem ſollicitat, ejus tonum infringit: omnibus enim notum eſt, quod, quo magis, quo diutius tenſum fuerit elaſtrum, eo majus elaſticitatis deperdiderit; donec tandem atonum evaſerit. Irritantiâ ergo liquoris ſpirituoſi, perverſus ſtomachicorum, appetentiae excitandae cauſâ, uſus, huc ſpectant.

5to,

5to, Ex nimio oleoſorum et calidorum uſu ita relaxatur ventriculus, ut muneri obeundo impar evadat; quod exemplo foemellarum comprobatur, quae abſortiunculis theè et coffee nimium indulgentes cachecticae fiunt ſaepiſſimè.

6to, QUIDQUID nervorum potentiam minuit vel ſuſpendit, ut graves animi affectus, ut ſubitus poſt paſtum ſomnus, vel nimius, vel vigiliae nimiae, ut extrema mentis contentio, qualem ſtudioſi in ſui perniciem frequentius adhibent, ſtomachum peſſumdat.

7mo, NIMIUS veneris praecipuè pleno ventriculo uſus, ventriculum enervat. Novi juvenem ex certamine venereo epilepticum evaſiſſe; eo quod è convivio rediens, vinoque hilariori uvidus, veneri litaſſet.

8vo, LIQUORUM ſpirituoſorum abuſus ventriculum omnino ſubvertit; ex horum enim abuſu infringitur ventriculi tonus; dein, ventriculus in rugas et duram quaſi inertem maſſam langueſcit: Liquores pariter ſpirituoſi ſanguinis lentorem et coagulationem inferunt,

runt, obſtructiones ponunt et fovent tenaciſſimas. Hos autem eſſe effectus liquorum ſpirituoſorum hinc confirmatur, quod, ſi ventriculum cujuſvis animalis, in ſpiritu vini immerſum, per aliquot dies relinquas, eum protenus induratum invenias: liquores ſpirituoſos ſanguinis coagulationem inducere hinc colligitur, quod albumen ovi ſero ſanguinis ſimillimum ex miſcela ſpiritûs vini in ſciſſilem maſſam coëat. Ebrioſorum pariter ventriculi frigoris ſenſu quodam ingrato afficiuntur, et aquoſo aliquo humore inundantur horis praeſertim matutinis; unde ad venenata iterum pocula confugiunt, vanum exindè ſolamen ſperantes.

9no, OTIOSUM nimis et ſedentarium vitae genus omnia relaxat; atque hinc ventriculus multum debilitatur.

SECT. II.

SUCCUS gaſtricus quantitate et qualitate deficere poteſt. Ac primo quidem quantitate; enim verò cum menſtruum extra ſphaeram

ſphaeram activitatis ſuae (ut inquiunt Chemici) agere nequeat, neceſſario requiritur diſſolvens inter et diſſolvendum juſta proportio: ſi ergo citra hanc proportionem deficiat ventriculi menſtruum (verbo ſit venia) major quam par eſt alimentorum moles, a minori quantitate menſtrui ſufficienter diſſolvi, et ad chylum quem continet dimittendum apprimè diſponi, non poterit: quidquid igitur liquoris gaſtrici quantitatem imminuit, ventriculi functiones perturbat.

1mo, Hunc ſuccum autem minuit univerſa corporis debilitas, nimius miſſus ſanguis, morbi chronici, labores nimii, calor immodicus.

2do, Quidquid ſanguifera ventriculi vaſa vaſaque ejus ſecretoria nimis comprimit, ſucci gaſtrici ſecretionem impedit, ut ventriculi ſchirrus, rarior fortè caſus, ſanguineorum ventriculi vaſorum obſtructio, cauſa frequentior: atque accidit, in ventriculi inflammatione, ſuppreſſis virginum menſibus, in gravidis, in obſtructione et inflammatione denique hepatis, ut hinc patet, quod hepatis inflammationem

concomitetur

concomitetur frequens ſanguinis vomitus, ſcilicet ventriculi ſanguis in venam portarum infertur, obſtructo igitur hepate. Solitum ſanguini praecluditur iter; regurgitat itaque ſanguis, vaſa infarcit, diſtendit, rumpit, ruptiſque capillaribus vomitu cruento exſpuitur.

3^tio^, QUALITATE pariter vitioſus eſſe poterit ventriculi liquor; ſed, cum ejus naturam ignoremus, de vitiis quibus obnoxius eſt, quidquam certi ſtatuere arduum eſt; generatim vero aquoſitate nimia, vel nimia craſſitie, aciditate vel putreſcentia, peccare poteſt.

MUTATIONEM quam ſubeunt ingeſta ex miſcela humoris gaſtrici rectius fortè non explicueris, quam ſi liquorem gaſtricum infinitis ſpiculis ſcatere ſupponas, quae ſpicula, quaſi totidem cunei, in aſſumptorum particulas impingant, eas findant, divellant, diſcerpant. Omne enim menſtruum ſuam vim exſerere, eo quod ipſius particulae determinatae magnitudinis a diſſolvendo fortius quam a ſeſe mutuo attrahantur, et exceſſu attractionis ſicut cunei agant in diſſolvendum, donec

nec ejus ſolutionem perfecerint, NEWTONI philoſophorum facilè principis conjectura probabilis eſt. Jam vero, ſi cunei illi ſalini ſint, ſeu qualiſcunque demum naturae ſupponantur, aucta in qua innatant aquae quantitate, eadem vi non agent, nec aequali ſtimulo villoſam ventriculi tunicam vellicabunt: ac proindè, ex nimia aquoſitate, deficere poterit digeſtioni dicatus humor.

SI vitioſam liquoris gaſtrici craſſitiem conſideraveris, non aliam facilè invenies coctionis laeſae uberiorem fomitem: etenim, ſive craſſities illa exindè oriatur, quod nimia ſit partium terreſtrium, mucoſarum, ac viſcoſarum, ad reliquas partes proportio; ſeu, quod partes, licet juſta proportione exiſtentes, arctius ſecum invicem implicentur, firmiuſque cohaereant, quam ut ſeſe exſerere, et in alimenta agere poſſint; nihil refert: hoc autem certiſſimum eſt, liquorem gaſtricum nimis craſſum, muci potius quam ſinceri menſtrui faciem prae ſe ferre, alimentorum ſuperficiei adhaerere, eorumdem poris excludi, digeſtioni tandem ineptum eſſe omninò, immò maximè obnoxium.

Nonnullos homines acidis langueſcere ſudoribus, ſparſim apud auctores legitur: nec dubium eſt, quin ſanguis nonnunquam in putreſcentiam tendat, ac proinde hinc ſecretus liquor gaſtricus, nunc acciditate nunc putreſcentia, peccare deprehenditur.

Ventriculi imbecillis Effectus.

Hinc quaſi religata pendet infinita ſeries morborum et ſymptomatum; nempè proſtratus appetitus, nauſea, animi deliquia, coctiones laeſae, apepſia, bradypepſia, dyſpepſia, cum infinitis eorum effectibus, ſaburra, omnis generis febres. Denique, ſi omnes, qui ex hoc fonte pendent, morbos recenſerem, nullus finirem: horum porrò effectuum ratio ex dictis ſatis patet.

DIAGNOSIS.

Celsum audias: ſtomachum infirmum indicant, pallor, macies, praecordiorum dolor, nauſea et nolentium vomitus; quae

in

in quo non ſunt, firmi ſtomachi eſt. Ex cognitis cauſis et effectibus, dignoſcitur ventriculi imbecillitas: itaque, ſi adſit univerſa corporis imbecillitas, cum febricula acuta; ſi conſtitutio tenera et delicata ſit; ſi ſedentaria et otioſa fuerit vivendi norma; ſi praeceſſerit ſpirituoſorum abuſus; ſi gravibus animi affectibus contabuerit aeger; ſi quis ſtudiis nimium deditus, chartis impalleſcens, nimias protraxerit vigilias; ſi denique, ſuperveniant coctiones frequentiùs laeſae; imbecillem ventriculum abſque erroris formidine affirmaveris: et quo plura ex praedictis concurrunt, eo certius erit judicium.

PROGNOSIS.

Si ventriculi imbecillitas ſymptomatica ſit, prognoſis a natura morbi, unde pendet, efformanda; ſic, in quibuſdam hydropicis, e. g, imbecillis ventriculus eſt malum immedicabile.

Si eſſentialis ſit, et ſtatim ab initio morboſae ſemper cladis fundamenta jacuerit, ventriculi

triculi imbecillitas vix, ac ne vix quidem, ſuperabilis: ſi quavis ex alia praedictorum causâ ſit, et diutius duraverit, difficilioris; ſi recens vero, facillimae admodum curationis eſt.

METHODUS MEDENDI.

Duplicis generis curationis indicationes, aliae ventriculum ipſum, aliae liquorem in ventriculo ſecretum reſpiciunt. Hîc tantum de ipſius ventriculi medela differam: tum quia in firmo ſtomacho vix pravus occurrit liquor gaſtricus; tum quia hujuſce liquoris aquoſitas, craſſities, aciditas et putreſcentia, ſaburrae efformationi maximè favent: de quibus proindè ſequenti articulo.

Imbecillus autem ventriculus duas praecipuè exhibet indicationes.

1mo, Ventriculi vires congruis alimentis reficiendae et ſuſtinendae ſunt.

2do,

2do, STOMACHICA quae ventriculo tonum reddant et conſervent, adhiberi debent.

PRIMAE indicationi ut ſatisfiat, ſedulò ſecernendum eſt, quid ferre recuſent, quid valeant, ventriculi vires: atque his adproportionari debent alimenta; fortiſſima enim edulia (ut inquit HYPPOCRATES) maximè et manifeſtiſſimè nocent, ſivè ſanus, ſivè aegrotus fuerit. Nimia ſi quantitate ingerantur alimenta, ventriculus, etiam firmiſſimus, oneri ferendo et ſubigendo impar ſuccumbit; quanto igitur majori cum damno imbecillis oneratur ventriculus, nemo non concipit. Nec alimenta indiſcriminatim aſſumenda ſunt; qualitate enim nocere poſſunt quam maximè: etenim, cum variae duritiei, tenacitatis, et viſciditatis ſint, cumque proindè ſolutioni varia variè reſiſtere poſſint alimenta, indiſcriminatim ſi ingerantur; ventriculi tumultum inferrent, et plurimorum morborum germina ponerent.

GENERATIM obtinet ſequens CELSI praeceptum: imbecillis corporibus rebus infirmiſſimis opus eſt; mediocriter firmos media materia

materia optimè ſuſtinet; validiſſima denique robuſtis convenire poſſint.

PROPORTIO ſolida inter et liquida obſervari debet; et hoc non tantum ſuadet ratio, ſed etiam confirmat experientia.

KERKRINGIUS de foemina quadam narrat, quod neglectis ſolidis liquida tantum aſſumpſerit, unde adeo debilitatus eſt ventriculus, ut ſolida deinceps ferre non potuerit.

DRILINCURTIUS, aperto cane, panem obſervavit intactum quo canem ante aliquot horas cibaverat. Requiritur ergo, ſolida inter et fluida alimenta, certa quaedam proportio; nec medicamentorum denique farragine defatigandus eſt malè ſanus ventriculus: nam, ſi cumulatim adhibeantur, ne, dum proſint, fragili ſtomacho offenderent.

NEC omittendum eſt ſummè neceſſarium corporis exercitium; nihil enim ſolidis roborandis magis inſervit. Otium humectat, et corpus reddit debile; labor ſiccat et corpus robuſtum

robuſtum efficit: ut ſapiens obſervavit HIPPOCRATES.

PLENO autem ventriculo, ab exercitio abſtinendum eſt; quod antè prandium vel poſt digeſtionem ferè peractam inſtitui debet. Equitatio, vectiones in rheda, ſeu placido mari navigatio, debilibus imprimis convenire videntur; quia, ſine defatigatione multa, beneficio motûs fruuntur. Poſtquam autem ſic incaeperint redire vires, tunc motu muſculari, ambulatione, ſcil. curſu, aliiſque corporis exercitiis confirmari debent: caeteroquin in eandem calamitatem cito relabuntur; ut patet frequenti exemplo puellarum a languida chloroſi curatarum, quae vitam ſedentariam nimis amantes, ex ingeſtis nutriri et nihil agere cupientes, reſtauratum corporis robur idoneis exercitiis ſuſtinere negligunt, donec, paucas poſt ſeptimanas, aequè debiles et pallidae ac antea evadant.

IN hunc ſcopum plura addere vetat anguſtior pagina; ſed qui plura voluerit, auctores ex profeſſo diaeteticam tractantes conſulere poteſt. Nunc ad ſecundam indicationem ſtomachico-

machicorum uſum exigentem progredior: porro ſtomachica fideli auctorum obſervatione commendatiſſima, ſequentia ſunt.

AQUÆ thermales, inſigni ſtomachicâ, leniter purgativâ et diuretica virtute ſeſe commendant; quarum uſum, per decem vel quindecim dies protractum, egregios novi praeſtitiſſe effectus. Quibus, ſi magis purgare volueris, adde paululum Salis Glauberi, vel Epſom; et vota ſuccedent. Huic pariter fini optimè reſpondent aquae minerales ferruginoſae, ſi per menſem propinentur. At, ante harum uſum, nitidae ſint primae viae, et ab omni ſaburra purgentur; aliter metuendum eſſet, ne pituitoſa primarum viarum colluvies, partes metallicas, in calcem, inertem, ponderoſam, viſcera admodum laedentem, praecipitet.

AMARA omnia ventriculo amiciſſima reperiuntur: hinc cortex peruvianus prudenter exhibitus, optimè inſervit, et ex connubio ejus cum Rhabarbaro, ſi neceſſitas ſit purgandi, indicationi apprimè ſatisfacies.

DE-

DECOCTA pariter amara non infimum locum obtinent, appetitum non tantum accuunt, quinetiam concoctionem ipsam adjuvant: ex sequentibus efformari possunt; nempè ex radicibus gentianae aenulae campanae, lapathi acuti: et sub finem coctionis addi possunt, summitates centaurii minoris, absynthii, folia nasturtii aquatici, cichorii, chaerophyllorum, &c. Ast, cum metus sit (ut observat clarissimus MEAD), ne longus infusionum amararum usus, fibras musculares nimis calefaciat, cum acidis quibusdam, praesertim elixire vitrioli mynsichti, illas simul adstringere convenientius nonnunquam est; ea tamen adhibita cautela, ut, dum adhuc tenax est, quae ventriculo inhaeret pituita, illis abstineatur.

QUANTUM infirmo ventriculo conveniant infusiones amarae, inter alia recens hic casus ostendit: ex consociis unus, nunc in hac urbe, cui, post patrem avumque, solenne erat stomachum vomitu involuntario horis semper matutinis exonerari, (exceptis tamen diebus post largiorem potitationem) ab infusione florum camomaeli, quam loco theè per mensem

uſitavit, ſe a miſeris vomendi cruciatibus, ingrataque qua affligebatur nauſea, liberatum laetabundus ſentit.

Compoſita ſi volueris, veterem adhibe theriacam; quam recenti theriacae anteponendam exiſtimo, eo quod in veteri opium quaſi extinctum ſit. Vinum ex oenula campana et abſynthio optimum poteſt efformari; mentham, ejus aquam et ſpiritum, ſummis laudibus digniſſimam aſſerunt magni nominis viri.

Elixir proprietatis, gari, dominae Staughton, et vitrioli, celebratiſſimi uſus ſunt; celeres quidem, ſed eadem celeritate evanidos plerumque, edunt effectus. Undè dubium videtur, an tantae ſint efficaciae ad reſtaurandas amiſſas ventriculi vires: ſed de horum uſu in ſequenti articulo.

Cachecticus vel hydropicus ſi ventriculo laborat imbecilli; ſtomachica, diuretica adhibeantur: Talia ſunt, aquae thermales, ſales neutri, vel ſal epſom, tartarum vitriolatum, arcanum

arcanum duplicatum, ſales lixivioſi, ut ſal tartari, abſynthii, &c.

Si cum obſtructione viſceris cujuſdam, hepatis, v. g. ut ſaepius fit, complicetur malèſanus ventriculus ; ad ſtomachica apperitiva confugiendum, ut radix aenulae campanae, lapathi acuti, &c.

Stomachica cardiaca indicantur, cardiaca amara, flavedo aurantiorum, ſummitates centaurii minoris, radices zedoariae, angelicae, mentha, &c. indicationi adcurate reſpondent.

Si a veneris vel ſpirituoſorum abuſu ortum ducat ventriculi imbecillitas, utriuſque uſum moderandum quis non concipit? ſi ex defectu exercitii, iterum inſtituatur exercitium. Et ſic porro, ventriculi recens imbecillitas, ex idoneo dictorum uſu, feliciter curatur : at ſi vetus fuerit, difficilior quidem erit curatio. Ex praedictis autem, ſi ab ullo alio expectanda.

ART. II.

De Viribus Ventriculi oppreſſis, ſeu de Saburra.

CUM Saburra plurimorum morborum parens ſit foecundiſſima et nutrix; cumque apud auctores, quotquot vidi, pauciſſima reperias, quae ejus naturam et curationem reſpiciunt; de illa liceat nunc quaedam breviter diſſerrere.

CAUSAE.

SABURRA pituitoſa opprimitur ventriculus, quoties humor mucoſus ſolito majori copia, intra ejus cavum ſecernitur, vel quoties humor gaſtricus, amiſſa propria tenuitate, glutinoſus craſſus, et utcumque mucoſus evadit. Sed, ut melius intelligatur natura et efformatio ſaburrae, obſervandum eſt, digeſtionem ſeu coctionem perfectam fieri, ſine ullis ferè reliquiis, ſaltem crudis et indigeſtis: poſt

poſt digeſtionem autem imperfectam, ciborum et ſucci gaſtrici reliquias ſupereſſe; quae quidem reliquiae, ſenſim ſenſimque accumulantur, et ſaburrae germina ponunt: quae, niſi pullulantia expurgaveris, altas agent radices, ſaburramque conſtituent tenaciſſimam: atque ſic plerumque concreſcit haec adeo funeſta ventriculo colluvies.

QUIDQUID ergo perfectam ingeſtorum digeſtionem impedit, ſaburrae generandae favet.

VENTRICULI igitur propria imbecillitas, liquor gaſtricus imminutus, ſeu aquoſitate, mucoſitate, aciditate, vel putreſcentia vitioſus, omnia denique, quae coctionem impediunt, ſaburram procreant.

EFFECTUS.

OMNEM ferè corporis compagem, invadunt ſaburrae ſymptomata: haec enim ventriculi functiones mirè perturbat, ductuum excretoriorum orificia ſubit et occludit, et, ſicut oleum cuti illinitum, tranſpirationem impedit;

impedit; ſic iſta, excretionem ſucci gaſtrici ſupprimit, huic excreto ſeſe immiſcet, ejus vires obtundit, et ſi diutius duraverit, ventriculum omninò enervat. Ex hujus praeſentia adeſt in ventriculo ſenſus cujuſdam ponderis, comeſtionis tempore, ſat moleſtus: doloribus lancinantibus nonnunquam excruciatur gula; hinc proſternitur appetitus, atque hinc (qualis varietas) aliquando appetitus voraciſſimus, cui fallaci non niſi veſtram in perniciem indulſeris: hanc etiam comitantur ructus inſipidi, quandoque ingratiſſimi, hujus indicium infallibile.

Lingua, albida, viſcoſa, craſſaque materia obtegitur, inſeparabilis ſaburrae effectus. Saliva lenta, viſcoſa, quandoque acida eſt; ſputatio abundantior, quae pituita vocitatur; vapor aliquando calidus et oris amaror, halitus improbi, in acrem vergentes ſaporem.

Respiratio difficilis, ordinarius eſt ſaburrae effectus; quam, ſummi momenti eſt, ab illa difficultate, quae ex vitio pectoris provenit, adcuratè ſecernere: in hac enim ſanguinis miſſio nonnunquam inſervit; quae tamen in illa funeſtiſſima eſſe poſſit. Reſpiratio autem

autem difficilis ſaburrae effectus eſſe dignoſcitur, ſi adſint ſaburrae ſymptomata, ſi ultra ſextam horam non duraverit, ſi poſt prandium ſenſum ſui faciat moleſtiſſimum. An quod, ventriculus diſtenſus diaphragmatis deſcenſum impediat, ſeu a nervorum ſympathia deducendum phaenomenon? Hinc reſpiratio aliquando impedita, urgente tuſſi, moleſtiſſima; atque hinc tuſſis cum ſenſu ponderis in ventriculo, undè vulgi, ſedem tuſſis, in ventriculo conſtituunt: praedominante ſaburra, motus cordis langueſcit, pulſus fit parvus, debilis; ſanguis minori quantitate ad cerebrum adfertur: hinc languor quidam, totos ſeſe diffundit per artus, atque frequentiſſima ſuperveniunt animi deliquia; immo et ſyncope hujus non rarus effectus eſt. Saburra producit in inteſtinis, borborygmos, colicas, primo conſtipationem, dein, diarrhoeas; dyſenteriae praeſertim autumnales, quae inſequuntur nimium fructuum uſum, hinc ſcaturiunt.

Hinc dum peragitur digeſtio, nunc totum friget corpus, nunc fervido calore ardet: hinc pallor tranſiens, ſudores abundantes; nocturni praeſertim, qui ſine cauſa evidente fiunt, hinc

hinc plerumque emanant, et aſtringenti purgatione curantur.

SABURRAM denique ferè ſemper ſequitur febris ſic dicta *ephemera*, non rarò febres continuae ſimplices, etiam et cum exacerbationibus; intermittentium fomes eſt foecundiſſimus.

DUO adhuc ſuperſunt ſymptomata, quae particularem merentur attentionem: pulſûs tarditas nempè, et ejus inaequalitas. Pulſus inaequalis et intermittens, ſaepius fortè quàm vulgo creditur, a ſaburra pendet: an ideo, quod cruditates primarum viarum, ſanguinem ingrediantur, et ejus motum per ſinuoſos pulmonis meatus impediant? vel annon potius hoc ſymptoma oritur, ex eo quod, ventriculus ſaburra oppreſſus, per nervorum conſenſum, cor etiam afficit, unde motus ejus regularis turbatur?

PULSUM celerem, a frequenti, lentum, a raro pulſu, (cum GALENO) diſtinguendum eſſe exiſtimo, licet reclament magnae authoritatis viri. KEILIUS poſt BELLINI, ſe nullam

nullam hîc concipere diſtinctionem profitetur ; verum tamen, niſi me mea fallit conceptio, diſcrimen ſeſe interponit manifeſtiſſimum : ſcil. pulſus celerior, ſeu minus lentus eſt, quando unaquaeque arteriae dilatatio cito deſinit, licet admodum frequentes non ſint : in pulſu autem frequenti, una vix deſinit dilatatio arteriae, quando altera ſuccedit ; licet ſingulae dilatationes, longiorem in digito impreſſionem effecerint. Igitur data eadem frequentia, pulſus magis lentus, vel celerior eſſe poterit, prout majoris vel minoris durationis facta fuerit in digito impreſſio : in pulſu enim celeri, arteria ſeſe cito ſabtrahit, et minoris durationis impreſſionem in digito facit ; et contra, in pulſu frequenti, arteriae ictus digitum diutius afficit : cum itaque pulſus celer a pulſu frequenti diſtingui debeat, ſatis intelligitur, quomodo pulſus lentus a pulſu raro diſcrepat ; pulſus autem frequens et lentus impeditum pulſum conſtituit, atque ex hoc pulſu ſolo, nulla ex evidenti cauſa nato, ſaburra adeſſe cognoſcitur.

DIAGNOSIS.

Ex dictis satis innotescit saburra: itaque, si alba, crassaque materia obnubilata fuerit lingua; si oris amarore, ingratissimisque ructibus, aliquis vexetur; saburra in primis viis cohaerere judicetur. Adesse tamen poterit saburra, licet nullis se signis exterioribus manifestet. Sic in obstructione hepatis, et omnibus fere intestinorum doloribus (si eos exceperis qui retentis mensibus contingunt) semper locum obtinet.

PROGNOSIS.

STATIM a saburrae initio facile curatur: at si per sex aut decem menses duraverit, haud facili cedet medelae; sublatâ enim saburrâ, supersesse poterit ventriculi imbecillitas, ac proinde ex minori data occasione, iterum repullulabit saburra. Idem dicatur de saburra, quae ventriculo prius imbecilli superveniret.

METHO-

METHODUS MEDENDI.

DUPLEX praecipuè indicatio curatoria.

1mo, Omnia quae ſaburram ponunt, ſuſtinent, et augent, devitari debent.

2do, Saburra tollenda eſt.

PRIORI indicationi ut ſatisfiat, vitanda ſunt omnia quae coctionem laedant; alimenta ergo nec pravae qualitatis ſint, nec nimia quantitate ingerantur. Viſcoſa igitur omnia, glutinoſa, unctuoſa, ſaccharata, oleogenoſa, vegetabilia cruda, praeſertim leguminoſa vitentur: ab omnibus gravibus affectibus, immunis ſervetur mens, atque ſufficienti exercitio fruatur corpus. Omnia denique ſupra recenſita (in priori articulo) quae ventriculo nocua, aut eidem imbecilli proficua ſint, huc referantur.

QUOD ſecundam indicationem attinet; recens ſaburra, prius evacuatis primis viis, diaeta congrua ſatis apte curatur, et, quam maxime inſervit, corporis exercitio. Elix. proprietatis,

proprietatis, extractum juniperorum, &c. adhibeantur per aliquot dies; his enim munitus praesidiis, vires amissas stomachus recuperat. Si adhuc tenax sit saburra, nec huic cedat medicamini, repetita purgatione eliminabitur. Melius adhuc succedit curatio, si propinetur emeticum; tartarum enim emeticum mire purgat ventriculum; et, si per grana, adhibeatur, inferius purgabit; et caeteris purgantibus, ad tollendam saburram, praestare videtur. Ipecacuana, ejus vinum et tinctura, mira vi pollet incidendi viscositates ventriculi: sumentibus gratior est; et cum minores inter vomendum nixus producat, si delicatus fuerit pectoris status, tartaro longè praeferenda. Insequenti die, post sumptum emeticum, propinetur ex manna et sale vegetabili, e. g. potio purgans.

Si omnino excludatur emeticum, ut fit in haemoptoe, et in delicata pectoris constitutione, purganti ter quaterve repetito emetici effectus obtinetur. Diebus denique medicatis, regimen observetur exactissimum: levi enim hinc errore commisso, omnia in pejus ruunt. Haec generatim de saburra dicta sunto:

ſunto: nunc caſus aliquos particulares attingere liceat.

VENTRICULUS imbecillis, ſaburra adhuc opprimitur; haec igitur expurganda, ille corroborandus: hîc ergo faciunt quae hucuſque dicta. Huic itaque fini reſpondet rhabarbarum; quippe quod tum purgante tum ſtomachica virtute praepollet: huc pariter adferantur aquae thermales, minerales ferrugenoſae, amara, ut cortex peruvianus, &c. In ſectione ſecunda articuli praecedentis, quadruplex vitium obſervavi liquoris gaſtrici; ejus nempe aquoſitatem, mucoſitatem, aciditatem et putreſcentiam. Si ab ullo ex his vitiis ortum duxerit ſaburra, quaedam in unoquoque caſu obſervanda paucis exponam.

1°, RARO aut nunquam contingit nimia ſucci gaſtrici aquoſitas, niſi ex praevia ventriculi imbecillitate, ex praegreſſo liquorum ſpirituoſorum abuſu, &c.: ſaburram igitur ab ejuſmodi aquoſitate natam tractare decet, debita cum attentione ad cauſam unde pendet; ſic, ſi ventriculi imbecillitatem, ſui cauſam agnoſcat

agnoſcat haec aquoſitas, ventriculum confirmare oportebit.

2°, BOERHAAVIUS in ſuis Aphoriſmis, (quos lucidiſſimè illuſtravit VAN SWIETEN) tam pulchrè diſſeruit, de glutinoſo ſpontaneo, acido ſpontaneo, et alkali ſpontaneo, ut de eorum cauſis, diagnoſi, prognoſi, ac proinde de ſaburra ex illis oriunda, nihil dicendum habeam, niſi eorum verba, (opus ſupervacaneum) reſcriberem. Pauciſſima ergo hîc annotabo.

3^tio^, ITAQUE ſi a glutinoſo ſpontaneo, ſaburram oriri compertum ſit, priuſquam evacuationibus, ſive purgando, ſive vomitu, cura tentetur, praevius incidentium uſus maximè convenit; enula campana, cortex peruvianus, et ipecacuana, optimè incident ventriculi glutinoſitates. Hîc evacuare, ſtomachum corroborare, et calefacere conducit: aquae thermales triplici huic fini reſpondent. Hîc etiam et arridet ſal admirabilis. Stomachus aliquando actuali frigore torpet, unde pannis laneis eum fricare, circumtegere oportet,

oportet, vina Hiſpanica, et elixir proprietatis propinentur.

4to, Si acidum ſapit ventriculi cruditas ſubaſtringentia et ſubalcalina, poſt evacuatas cruditates commendat BOERHAAVIUS, quibus ſtomachica purgantia vix quidquam cedunt, ne dicam praeferenda ſunt.

5to, Si in putridam ſordem vergunt ſtomachi cruditates, evacuatis primum ſordibus, elixir vitrioli egregiè conducit; ſordibus enim putridis aciditate ſua adverſatur, et inſuper ventriculi fibras adſtrictione corroborat.

6to, OBSERVANDUM autem eſt, quod, ſi putrida haec colluvies, a calida ventriculi intemperie oriatur, ſumma cum cautela, nec niſi prius correcta ſtomachi intemperie, ad emetica et purgantia ſit refugiendum, quae ex lenioribus ſeligantur; tamarindi, manna, &c. adhiberi poſſunt.

7mo, SENEX ardore urinae excruciatur, et adhuc ventriculus cruditatibus ſcatet? emol-

lientia,

lientia, inviſcantia, ardori urinae medelam promittere videntur : ſed haec ſaburram mirè adaugent, unde, ſublata prius ſaburra, omnia melius ſuccedunt. Sanguinis ſtillicidium, haemorrhagiam ſaburra fovet, et febrem: qua proinde ſublata, haec evaneſcit, illa (quod mirum) ſiſtuntur.

8vo, An ſanguinis miſſio, in imbecillitate ſeu ſaburra ventriculi, celebranda? hanc ventriculi imbecillitas omnino excludere videtur : ſed ſi ſaburra obtineat, in temperamento ſicco et calido, miſſio ſanguinis inſervit ; praemiſſo enim ſanguine, minuitur irritabilitas : hinc purgantia, emetica, quae ſtimulo ſuo nocere poſſunt, tutius exhibeantur.

9no, Generatim pleno ventriculo, vel imminente indigeſtione, nunquam fere celebranda eſt phlebotomia ; ex defectu enim virium fit indigeſtio : cum ergo ſanguinis miſſio vires imminuat, indigeſtioni favere poſſit.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1755
C1